

inductos, repente Scalani ex insidiis coorti adoriuntur. 1337
 Pauci, quibus fortuna potius quam hostium consilium percipit, vivi in eorum potestatem venere: reliqui ad unum cæsi. Inde eruptione in illos qui foris erant, repente facta, equite in consternatum agmen immisso, paucissimi evaserunt. Pulchro se facinore in Venetos defunctum Albertus existimare: gestire proinde, ac militibus captis quasi Venetis insultare. Verum ubi ex ipsis captivis cognitum est, nullum Venetum in ea expeditione fuisse, omnes mercenarios missos, atque eos procul a Veneta terra ortos, cæpit tyrannum sui facti pœnitere, Deum hominesque vehementer incusare, nocturnæ cædis vehementer pudere: ita irarum plenus Patavium cum suis est reversus.

Rubrius, dum hæc in Taurisinis geruntur, jamjam & ipse in hostem moturus, suos paucis affatus dicitur, atque vehementer hortatus, ad ea imprimis audenda, quæ viros fortes decerent; inde ut militaris disciplinæ essent memores; non opus sibi esse, dicere, seditioso aut ignavo milite, sed strenuo in hostem, imperiique ac laborum patientissimo. Si quis esset qui hæc minus servare posset, expedire illi ut castris, antequam mota essent, excederet: cum paucis strenuis malle se vincere dictitans, quam cum multis ignavissimis vinci. Audirent ii, qui ita animati essent, egregia suorum facinora potius, quam præsentis turbarent. Mastinus audito hostium motu, veritus ne suburbana Mestræ tecta Rubriani occuparent, jussit illa non sine ingenti oppidanorum invidia uno tempore omnia concremari. Rubrius, Anaxo fluvio superato, per Taurisinos ducens, tecta procul fumantia intuitus dixisse fertur: majora se animo moliri, quam ut in suburbanis Mestræ tectis esse vellet. Erant, qui Taurisium dicerent oppugnandum. Ille vero, ad hostem se properare respondit: quo victo, fore prædicabat ut multæ & amplæ sequerentur victoriæ. Ad Brentam fluvium jam Veneta castra processerant: quum trepidissimis nunciis Patavium allatum est, hostes adventare: cæptæ tam ambiguae voces, atque invidiæ plenæ, in tyrannos jactari: irent modo Scalani, & si ii essent qui